Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 993
Quelle:
Copyright:

as columnas luculente exaratus, rubricisque pernotatus complectitur: I. D. *Bernardi* Abb. *Claraevall. Sermones in Cantica* ita, ut pluribus membranis deperditis initium modo sit a fine *Sermonis* XXIV. atque his verbis: *Jam omne adiutorium, quod tibi ex me debebatur, uertisti tibi in confusionem — Utinam et nos simus de illis annumerati dilectoribus sponsi prestante eodem domino nostro ihesu christo.* Sequitur *Sermo* XXV. hoc initio: *Hoc demum tertio Fratres reditum ab urbe nostrum* &c. Recte notavit sua in editione *Mabillonius* T. IV. *col.* 1345. inter hunc et praecedentem *Sermonem* et a Codicibus, et ab Editionibus eos secutis turbatum fuisse eo, quod *Bernardus* ex *Italia* redux *Sermonem* XXIV. cum alio Exordio et alia Clausula repetierit. Itaque, quae superius citata sunt verba, apud eum *col.* 1347 — 48. partim in contextu *Serm.* XXIV. partim in *nota* leguntur; illa vero: *Videas ambulare seorsim — desiderare, quae sursum sunt, rectitudo;* a Codice nostro penitus absunt, in quo deinceps Sermones *uno* numero *Mabillonium* praecedunt. In *Serm.* XXVII. seu *Lamentatione super fratrem suum Gerbardum* excidere membranae a verbis: *non hunc qui obdormivit in domino. Exite* —. usque ad verba *Serm.* XXXIII. *favorabile quidpiam cantare nobis de canticis Sion* &c. Ultimus est *Sermo* LXXXIV. (*Mabill.* LXXXIII.) ad cujus finem quaedam situ corrupta sunt Supereſt:

Christus scriptorem saluet per Matris amorem.

Capto experimento Textum comperi nihil habere prae Editis, nisi quod *Serm.* nobis XXVI. malim scriptum *filiae Babylonis* vel *filiae Belial* pro impresso *filiae Baal*, ut I. *Reg.* 1. 16.

II. *fol.* 151. p. 2. adscriptum est alia manu Poema prolixum morale varia Vitae praecepta tradens, sed ab aevo, situque pessime habitum, cujus initium:

Ardua virtutum faciles cape lector ad usus.
Alta solent humiles carpere poma manus.
Has ego dictus opes abbas reserabo iohannes,
Abdita cum nullum gaza juvamen habet.
Vtilis est operis magnos releuare labores,
Et grave per planum ducere pondus iter.
Hinc ego, quo facilis sapientia fiat alumpnis,
Ethica dulcisonis uerba notabo modis. &c.

Versum certe eleganter concludere didicit ab *Ovidio Johannes* noster, quem neque apud *Leyserum*, neque alibi deprehendi. Agit vero pri-